



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Theoderici Regis Qvondam Ostrogothorum & Italiæ

Cochlaeus, Johannes

Ingolstadii, 1544

VD16 C 4410

De Stvdio Pacis Inter Reges conseruandæ Cap. XVI.

urn:nbn:de:bvb:12-bsb00004354-8

præstabis, ne quemq̄ nostrum grauet imperium, quod ad
utilitatem uolumus respicere singulorum.

DE STUDIO PACIS INTER
Reges conseruanda Cap. XVI.

Quamuis nullus Regum illo tempore esset uel bellorū
peritior, uel armis & facultatibus potentior hoc rege
Gothorum, nemo tamem ex omnibus uisus est pacis aman-
tior aut studiosior, quippe, mox ab initio adepti regni Italici
sategit diuersis affinitatum coniunctionibus (ut dictum est)
uicinos ad pacē sibi reges deuincire. Cum autē Rex Franco-
rum Clodoneus, (quem Cassiodorus in Epistolis Luduū,
Paulus Aemilius Veronensis à Baptismo Ludouicū uocat)
& animo ferox, & bellicis uictorijs clarus, opibusq; et uiribus
potens, indies magis magisq; bellorū successibus augetur,
Theodericus Rex crebris admonitionibus per literas & Le-
gatos, iure affinitatis fretus, illum ad mitiora hortabatur.

Deuictis igitur magno & anticipiti prælio Alemannis à
rege Clodoneo, interfecto eorum rege atq; ingenti Nobiliū
numero, eliquit illorum in fines regis Theoderici confuge-
runt, pro quibus uictori reconciliandis Legatos et literas mis-
sit Rex Theodericus, in hæc uerba. Luduū Regi Francorū
Theodericus Rex, Gloriosa quidem uestræ uirtutis affinitas
te gratulamur, quod gentem Francorum prisca ætate residē,
foeliciter in noua prælia concitasti, & Alemānicos populos
causis fortioribus inclinatos, uictrici dextra subdidisti. Sed
quoniam semper in authoribus perfidiæ refecabilis uidetur
excessus, quia ex primariorum plectibili culpa omnium debet
esse uindicta, motus uestros in fessas reliquias tēperate, quia
iure gratiæ merentur euadere, quos ad parentum uestrorum
Mm ij defensionem

Intercessio
Thode, pro
Alemannis
apud Regē
Frācorum.

defensionem respicitis confugisse. Estote illis remissi, qui nostris sinibus celatur exterriti. Memorabilis triumphus est, Alemannum acerrimum sic ex pauisse, ut tibi eum cogas de uita munere supplicare. Sufficiat illum regem cum gentis suae superbia cecidisse, sufficiat innumerabilem Nationem, partim ferro, partim seruitio subiugatam. Nam si cum reliquis confliges, adhuc cunctos superasse non crederis. In talibus causis accipe frequenter expertum, illa mihi feliciter bella prouenerunt, quae moderato sine peracta sunt. Is enim uincit assidue, qui nouit omnia temperare. Dum iucunda prosperitas illis potius blanditur, qui austeritate nimia non rigescunt, Cede itaque sua uiter Genio nostro, quod sibi gentilitas communi remittere consuevit exemplo. Sic enim fit, ut & meis petitionibus satisfecisse uideamini, nec sitis solliciti ex illa parte, quam ad nos cognoscitis pertinere. Quocirca salutantes honore et affectione, qua dignum est, illum et illum Legatos nostros ad Excellentiam uestram, consueta charitate direximus, per quos & sospitatis uestrae indicium, & speratae petitionis consequamur effectum. Hanc Theoderici regis Epistolam in elegantiore styli formam redactam recitat quoque Paulus Aemilius, quam hic repetere non uidetur necessarium, Recremus autem Regis Clodonei potius responsum ex eodem Paulo Aemilio, quod inter Cassiodori Epistolas non inuenitur. In haec igitur uerba Clodoneum respondisse affirmat.

Respōsum
Clodonei
ad Theo.

Meam de Alemannis uictoriam, non minus quam felicem tibi uideri gaudeo, agnoscoque & benevolentiam & humanitatem tuam, quod prius naturae meae dederam, ut Alemannis uictis ignoscerem, nunc honoris tui causa eorum secessionem defectionemque ignosco. Tibique eo magis debebunt, quod qui semel uita donati, continuoque ad furorem reuoluti, nullam sibi spem iterum impetrandae ueniae reliquissent. De illis te agente nulla piacula expectam, sed in patrias eorum sedes fideque
meam

meam ac mitissimam iuris conditionem illos recipio, in futurum si plus consuetudo amentiae quam officium apud eos ualebit, lenitas mea & pristina & praesens & haec autoritas tua, graui cruentoque in eos exemplo satianda erit.

Recõcillatis hoc modo regi Frãcorũ Alemãnorũ reliquijs maior exorta est belli cura inter duos ferocissimos ac potentissimos reges, Alaricũ Visigothorũ et Clodoneũ Frãcorũ, qui & animo et uiribus pares uidebãtur, et ambo erant Theodoricus affinitate coniuncti. Ad utrumque igitur sollicitè & scripsit & legatos misit, ad Alaricum quidem sic Quamuis fortitudinè uestrae confidentiam tribuat parentum uestrorum innumèrabilis multitudo, Quamuis Attilam potètem reminiscimini Visigothorum uiribus inclinatum, Tamè quia populorum ferotia corda, longa pace mollescunt, caute, subito in aleam mittere, quos constat tantis tẽporibus exercitia non habere, Terribilis est hominibus conflictus, si nõ sit assiduus, & nisi usu praesumatur, concertandi subito fiducia non habetur. Absit, ut uobis aliquid indignatio caeca surripiat, Moderatio prouida est, quae gentes seruat, furor autem instantia plerumque praecipitat, & nunc utile solum est ad arma concurrere, cum locum apud aduersarium iustitia non potest inuenire. Quapropter sustinete, donec ad Francorum Regem legatos nostros dirigere debeamus, ut litem uestram amicorũ debeant amputare iudicia, inter duos nobis affinitate coniunctos non optamus aliquid tale fieri, unde unum minorẽ contingat forsitan inueniri. Non uos parentum fusus sanguis inflammat, nõ grauius uirum occupata prouincia, Adhuc de uerbis parua contentio est, facillime transigitis, si non per arma uestris animos irritectis.

Ad Clodoneum uero sic. Adeo inter reges affinitatis iura diuina coalescere uoluerunt, ut per eorũ placabilem animũ proueniat quies optata populorum. Hoc enim sacrum est,

Mm iij quod

Epistola
Theode. ad
Alaricũ Re
gem, ne bel
lũ cũ Fran
cis ineat.

Altera ad
Clodoneũ
Epistola, ne
bellum infe
rat Visigo
this.

quod, nulla permittitur commotione uiolari. Nam quibus
obsidibus habeatur fides, si non credatur affectibus? Sociantur
proximitate Domini, ut Nationes diuisæ simili debeant
uoluntate gloriari. Et quasi per alueos quosdã cõcordiæ adu-
nata se possint gentium uota coniungere. Quæ cum ita sint,
miramur animos uestros, sic causis mediocribus excitatos,
ut cum filio nostro Alarico rege durissimũ uelitis subire cõ-
flictum, ut multi qui uos metuunt, de uestra cõcertatione læ-
tentur. Ambo estis summarũ gentium Reges, ambo ætate
florentes. Non leuiter regna uestra quassatis, si data partibus
libertate confligitis. Virtus uestra patriæ non fiat inopinata
calamitas, Quia grandis inuidia est Regum, in causis leui-
bus grauis ruina populorum. Dicam libere, dicam affectuosè
se quod sentio, impatiens sensus est, ad primam legationem
protinus arma mouere, A parentibus quod quæritur electis
iudicibus expetatur. Nam inter tales uiros & illis gratum est
dare, quos medios uolueritis efficere. Quid de nobis uos ipsi
æstimare poteritis, si nos intentiones uestras reliquisse cog-
noscitis? Absit ille conflictus, ubi unus ex uobis deleri pote-
rit inclinatus, Absicite ferrum, qui in meum pugnare uultis
opprobriũ, iure patris uobis inter minor & amantis. Ille nos
& amicos nostros patietur aduersos, qui talia monita (quod
non opinamur) crediderit esse temnenda. Quapropter ad
Excellentiam uestram, Illum & illũ legatos nostros magno
opere credidimus dirigendos, per quos etiam ad fratrem uest-
rum, filium nostrum, Regem Alaricum, scripta nostra dis-
reximus, ut nullatenus inter uos scandala seminet aliena ma-
lignitas, sed in pace perseuerãtes, quæ sunt inter uos, medijs
amicis placabiliter finire debeatis. Hæc ad regẽ Francorũ.
Epistola
Theo. ad ali
os Reges: Scripsit præterea & legatos misit eadem de causa ad alios
Reges, ut Herulorum, Guarnorum et Turingorum, in hanc
sane sententiã, Superbiã diuinitati semper exosam persequi
debet

debet Generalitatis assensus. Nā qui uult opinabilem gen-
tem uoluntaria iniquitate subuertere, non disponit cæteris
iusta seruare, pessima consuetudo est, despiciere ueritatem,
Credidit sibi omnia cedere, si elatum contigerit in abominabili
certamine superare. Et ideo uos, quos cōsciēcia uirtus erigit,
et cōsideratio detestabilis præsumptionis accēdit, legatos ue-
stros una cum meis & fratris nostri Gundibadi Regis Bur-
gundionum, ad Francorū Regem LVDVIM destinate,
ut aut se de Visigothorum conflictu, considerata aequitate
suspendat, & leges gentium quærat, aut omnium patiat in-
cursum, qui tantorum arbitrium iudicat esse tēnendū. Quid
quærit ultro, cui offertur absoluta iustitia: Dicā plane quod
sentio. Qui sine lege uult agere, cunctorum disponit regna
quassare. Sed melius est, ut inter initia perniciose reprimatur
assumptio. Ut sine labore perficiatur omnium, quod certamē
esse poterat singulorum. Hæc ad Reges Rex Theo.

Fuit bellum illud Visigothis admodum funestum &
calamitosum. Sed Rex Theodericus nihil magnis regis
Francorum successibus territus, quod uerbis intermina-
tus fuerat, re compleuit. Misit enim ualidum in Gallias Bellū The-
exercitum, qui pulsus ac uictis Francis, illam occupauit contra regē
ex ea præsertim parte, quam uictor Francus Visigothis Francorū,
ademerat.

DE HONESTATE VITÆ
Regis Theoderici. Cap. XVIII.

Honestam fuisse uitæ conuersationem huius Regis
(licet nonnulli eum ex concubina procreatum fuisse
asserunt) facile conijcere poterit.

Argumenta
probitatis
in Theode-

Qui